



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 7. Quam pœnam incurrunt qui baptismum bis suscipiunt?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Baptismi. Cap. III. 71

Montanum credunt; quorum similes multi sunt) & alii tales, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptisma non fuit quod in errore positi in sancta Trinitatis nomine minimè perceperunt.

Ex hoc Divi Gregorii loco colligere licet, nequidem sub conditione baptizandos esse hæreticos, qui validè semel baptizati fuerunt, sed supplendas esse ceremonias secundùm præscriptum Ritualis Romani, ubi dicitur. *Hæretici verò ad Catholicam Ecclesiam venientes, in quorum Baptismo debita forma aut materia servata non est, ritè baptizandi sunt: sed priùs errorum suorum pravitatem agnoscant & detestentur, & in fide Catholica diligenter instruantur. Vbi verò debita forma & materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.*

Quæst. 7. Quam pœnam incurrunt qui Baptismum bis suscipiunt?

Resp. Sic legitur in Canone: Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quòd, secundùm Canones, ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Qui autem non ignari iterum baptizati sunt, quasi iterum crucifixerunt Christum, per septem annos pœniteant.

Addit Glossa ibidem: *Et est sciendum, quod scienter rebaptizatus, est in perpetuum irregularis; si autem ignoranter, dispensetur cum eo ex causa.*

Quæst. 8. Quænam mutatio in forma Sacramenti Baptismi, reddit illud invalidum?

Resp. Respondeo ex Divo Thoma: Si subtrahatur aliquod quod sit de essentia forme, certum est quod non est Baptismus, & ille qui baptizat graviter peccat; quia apud

Rituale Roman. Tit. De Baptismo adultorum.

Can. Qui bis, De Consecr. dist. 4.

D. Tho. 4. sent. dist. 3. art. 2. quæstiunc. 3. in corp.